

www.libtool.com.cn

SYNODUS DIOECESANA

DENVERIENSIS PRIMA

www.libtool.com.cn

SYNODUS DIOECESANA

www.libtool.com.cn

Denveriensis Prima,

JUXTA NORMAN A CONC. BALT. III PRAESTITUTAM,

HABITA


In Collegio SS. Cordis, Highlands,

A REVERENDISSIMO

NICOLAO CHRYSOSTOMO MATZ,

EPISCOPO DENVERIENSI

DIE II AUGUSTI, A. D. MDCCCLXXXIX.



LAS VEGAS:
EX TYPIS SOCIETATIS JESU.

1889.

www.libtool.com.cn

INDEX RERUM.

www.libtool.com.cn

Convocatio Synodi	pag. 9
Officiales Dioecesis	10
Officiales Synodi	11
Synodales ex Clero saeculari	12
Synodales ex Clero regulari	12
Absentes	13
Proclamatio Concilii Baltimorensis Plenarii III	14

CONSTITUTIONES.

TITULUS I. DE OFFICIALIBUS EPISCOPI	15
j Qui et quot sint	15
ij De Dioecesis consultationibus	15
iij De Curia Ecclesiastica	15
TITULUS II. DE CLERO DIOECESANO	16
iv Juramentum praestabunt	16
v Clerici advenae probentur antequam admittantur	16
vj De litteris admissionis et dimissionis	16
vij Abeuntes facultates amittunt, nec passim redeuntes adquirent	16
viiij Jura eorum ad tempus huc accedentium	17
ix De exclaustorum admissione	17
x De Rectoribus et Missionariis	17
xj De Districtibus Ecclesiasticis	17
xij De ministeriis extra paroeciam et in extraneos	18
xiiij Quibus oblationes debentur	18
xiv De absentia a propriis paroeciis	18
TITULUS III. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM	19
xv De vestitu clericorum	19
xvj De negotiis saecularibus evitandis	19
xvij Cauponae vitandae	19
xviij Mulierum familiaritas arcenda	19
xix A ludis et spectaculis abstineant	20
xx De rebus politicis et saecularibus ne tractent	20
xxj Negotiationes rejiciendae	20
xxij Medicorum exercitium prohibetur	20
xxiiij Litigationes in foro saeculari vitentur	20
xxiv De missae, diebus festis, intentione	21
TITULUS IV. DE ZELO ANIMARUM	21
xxv Quae prae oculis habenda sint	21
TITULUS V. DE SANCTITATE STATUS SACERDOTALIS	22
xxvj Quae semper nostrum animum percellere debeant	22

TITULUS VI.	DE BONIS ECCLESIASTICIS	24
xxvij	De redditibus, eorumque ratione reddenda	24
xxviii	De inventariis	24
xxix	De donationibus	25
xxx	Aere alieno ne graventur	25
xxxi	De peculiarum mutuo	25
xxxij	Poena contra transgressores	25
xxxij	Contra incendia assecuratio	25
xxxiv	Testamenta conficiantur	26
TITULUS VII.	DE AEDITUIS LAICIS (TRUSTEES)	26
xxxv	Qui et quomodo eligendi	26
xxxvj	Rectori subjiuntur	26
xxxvij	Dissensiones ab Episcopo decidendae	26
TITULUS VIII.	DE MODIS PROHIBITIS PECUNIAS AD PIAS CAUSAS	
	COLLIGENDI	27
xxxvij	De collectis ad fores Ecclesiae	27
xxxix	De renitentibus stipem dare	27
xl	De colligendis eleemosynis extra districtum	27
xlj	Ab altari non discedatur ad eleemosynas petendas	27
TITULUS IX.	DE BAPTISMO	28
xlj	Quam citius administretur	28
xlj	Quae nomina imponenda	28
xliv	Qui et quot patrini admittendi	28
xlv	Qui arcendi	29
xlvj	Quid agendum in casibus extraordinariis	29
xlvi	De iis quae fieri nequeunt	29
xlviij	Ubi administrandus baptismus	29
xlix	De examine et receptione conversorum	29
l	Quid in conditionata et absoluta Baptismi adminis-	
	tratione faciendum	30
lj	De craniotomiae licitate	30
TITULUS X.	DE CONFIRMATIONE	31
lij	Ne in longum differatur	31
liij	Quomodo olea sacra servanda	31
liv	Quomodo renovanda et ubi condenda	31
lv	De usu novi et veteris chrismatis	31
lvj	Quid circa fontis benedictionem Sabbato Sancto	32
TITULUS XI.	DE EUCHARISTIA	32
lvij	De sacrae communionis frequentia	32
lvij	De quadraginta horarum expositione	32
lix	Prohibetur nocturno tempore et indulgentiae decla-	
	rantar	32
lx	Communio Paschalis	33
lxj	Quae praescribuntur circa tabernaculum	33
lxij	Quae circa ciborum	33
lxij	De renovatione SSmae Eucharistiae	33
lxiv	De facultate celebrandi missam de Requiem in festis	
	duplicibus	33
lxv	Missae media nocte Nativitatis Domini	34
lxvj	Privilegium Officii Divini recitandi	34
lxvij	De securitate aptae materiae sacrificii missae	34
lxvij	Qua hora celebrabitur	34

lxi	Onera quae suscipere non licet	35
lxx	De rubricarum observantia	35
lxxj	Ubi prohibeatur celebrari missa	35
lxxij	Quibus infirmis Eucharistia et Extrema Unctio ad- ministranda	35
lxxijj	De aliis modis eos juvandi	35
lxxiv	Quibus diebus sollemnis expositio SSmi Sacramenti haberi poterit	36
lxxv	Quando abstinendum, quodque curandum	36
lxxvj	De consecratione annua SS. Cordi Jesu facienda	36
lxxvij	De exercitiis Marianis et quadragesimalibus	36
TITULUS XII. DE SACRAMENTO POENITENTIAE		37
lxxvijj	Habeantur confessionalia ad confessiones audiendas	37
lxxix	Pueri saepius confiteantur	37
lxxx	Quomodo induti confessiones sacerdotes audiant	37
lxxxj	Sigillum sancte servetur	37
lxxxijj	Ad audiendas confessiones praesto sint	37
lxxxijj	De casibus reservatis	38
lxxxiv	De audiendis Religiosarum confessionibus	38
lxxxv	Quae nequeant nisi ordinarium confessorem adire	39
TITULUS XIII. DE EXEQUIIS ET SEPULTURA		39
lxxxvj	Quando permittantur in privato praedio	39
lxxxvijj	Quid de iis qui addicti fuerunt secretis societatibus	39
lxxxvijj	Ubi sepeliendi parvuli sine baptismo	40
lxxxix	In Ecclesia funera celebranda, ritusque ecclesiae ser- vandi	40
xc	Doceantur fideles quae vera sint suffragia	40
xcj	Qui ecclesiastica sepultura privantur. Quid in casibus dubiis agendum	40
TITULUS XIV. DE MATRIMONIO		41
xcij	De contrahentium et sacerdotum obligatione, deque poena transgressorum	41
xcijj	Quibus in casibus haec poena mitigetur, et quid tunc agendum	41
xciv	Catholici a mixtis matrimoniis avertantur	42
xcv	Cautiones ab Ecclesia requisitae in matrimoniis mixtis	42
xcvj	Quomodo et ubi haec matrimonia celebranda. Quibus nulla est dispensatio	43
xcvij	Quodnam sit privilegium Paulinum, et quomodo in- telligendum	43
xcvijj	De bannis seu promulgationibus matrimoniorum	44
xcix	Qua in ecclesia promulgationes faciendae, etiam clau- so tempore, qui praesse jus habeat	44
c	Quod jus dispensandi sacerdos habeat	44
cj	De hora diei et loco celebrandi matrimonia	44
cij	Quodnam sit quasi domicilium	45
cijj	Specialis concessio absolvendi pro retroactis casibus	45
civ	Dispensationes telegrapho ne committantur	45
cv	Parocho proprio oblationes debentur	45
cvj	Cum duo sint parochi proprii, oblationes dimidiabunt	45
cvij	Ecclesia aversatur matrimonia mixta	46
cviij	Conditio prolis ex hujusmodi matrimoniis susceptae	46
cix	Conditio ejusdem post catholici genitoris mortem	46
cx	Ecclesia haec conjugia, aegre, gravi de causa, mag- nisque cautionibus permittit	47

cxj	Verba Pii VIII, hac de re, ad Archiepiscopum Coloniensem	47
cxij	Quibus conditionibus haec dispensatio dari possit	48
cxij	Instructio ad Episcopos hujus regionis	48
cxiv	Quomodo se gerant pastores, tum in imminentibus casibus, tum gregem instruendo	48
TITULUS XV. DE SACRORUM RITUUM OBSERVANTIA.....		
cxv	Quam horum aestimationem habere debeamus	49
cxvj	In missa nihil addatur, nec omittatur	49
cxvij	Rituale Romanum observetur, ac diligenter perpendatur	50
TITULUS XVI. DE JURIBUS STOLAE ET MISSARUM STIPENDIIS....		
cxviii	Quomodo se gerent sacerdotes circa oblationes pro ministerio	50
cxix	De missarum stipendiis	50
cxx	De salariis, atque Nativitatis et Paschatis collectis	51
TITULUS XVII. DE PATRONO ET TITULARI ECCLESIAE PROPRIAE..		
cxix	Quo ritu celebrandum Titularis Festum	51
cxli	De Festis infra hebdomadam	51
cxlii	Quaenam sint, praeter Dominicas, Festa de praecepto	52
TITULUS XVIII. DE SCHOLIS.....		
cxiv	Quanti sit educatio parvulorum	52
cxv	Quae de parvulorum educatione statuta ac servanda sunt	52
cxvj	Uniformitas sit in electione librorum	53
TITULUS XIX. DE VERBI DIVINI PRAEDICATIONE.....		
cxvij	De ejus necessitate	53
cxviii	Quae vitanda sint	54
cxix	Diebus festis, in omnibus missis, verba ad populum habeantur	54
TITULUS XX. DE CATHEDRATICO.....		
cxx	De sustentatione Episcopi	54
cxxj	Ex quibus fundis subducenda	55
TITULUS XXI. DE PAUPERIBUS ET MODO EOS SUBLEVANDI.....		
cxix	Societates S. Vincentii de Paulo instituantur	55
TITULUS XXII. DE ORPHANIS.....		
cxlii	Quid pro eis factum sit, quidque faciendum	56
cxlii	De collectis ad eos juvandos	56
TITULUS XXIII. DE PROHIBITIS ET APPROBATIS SOCIETATIBUS...		
cxlv	Quae sint damnatae	56
cxlvj	Quomodo se geret sacerdos	57
cxlvj	De societatibus honestis	57

NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,

DIVINA PROVIDENTIA, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

www.libtool.com.cn

EPISCOPUS DENVERIENSIS,

Dilecto Clero dioecesano tam Saeculari quam Regulari in Domino Salutem.

Quod jamdiu Decessori Nostro Nobisque in votis fuerat, quodque ob varias rerum ac temporum circumstantias hucusque praestare non potuimus, hoc opportunum Nobis visum est et, Deo adjuvante, tandem perficere statuimus ut, eo quo possimus meliori modo, canonicis regulis conformemur.

Itaque hisce praesentibus litteris primam dioecesanam Synodum die 2 Aug., praesentis anni habendam indicimus. Omnes Sacerdotes tam Saeculares quam Regulares curam animarum habentes ad Ecclesiam Cathedrali, praedicta die 2 Aug., hora 6 A. M., habitu clericali, superpelliceo et birreto induti convenient.

Qui canonico impedimento ne intersint praepediti fuerint, excusationem dies saltem decem ante dictam celebrationem ad hanc curiam dabunt, ut de istiusmodi excusationis opportunitate a statutis iudicibus decerni possit.

Caeterum cum omne donum perfectum a Patre luminum expectandum sit, idque per continuam tam Cleri quam populi orationem, ordinamus ut a Dominica hanc publicationem subsequenti usque ad Synodi conclusionem, in missa, loco orationis pro Papa, oratio de Spiritu Sancto, servatis aliunde rubricis, dicatur.

Hac occasione omnes certiores facimus:

1. Quod Exercitia Spiritualia ("The Retreat") locum habebunt die 29 vespere hujus mensis, quibus adesse omnes obligantur. Locus ad hoc electus collegium erit Jesuitarum, Denver Highlands.

2. Quod Reverendus Pater Raverdy, quemadmodum hucusque, sic in posterum Vicarii Generalis munere nostram per ordinationem fungetur.

Datum Denver ex nostra Residentia Episcopali, die 23 Julii anni 1889.

✠ NICOLAUS CHRYSOSTOMUS MATZ,

Episcopus Denveriensis.

OFFICIALES DIOECESANI

www.libtool.com.cn

Vicarius Generalis:

ADM. REV. J. B. RAVERDY.

Consultores Dioecesani:

ADM. REV. J. B. RAVERDY, V. G.

REV. J. B. GUIDA, S. J.,

REV. P. F. CARR,

REV. J. P. CARRIGAN.

Cancellarius:

REV. P. A. PHILLIPS.

Defensor Matrimonii:

REV. T. J. FLYNN.

Procurator Fiscalis:

REV. T. H. MALONE.

OFFICIALES SYNODI.
www.libtool.com.cn

Promotor:

REV. J. B. GUIDA, S. J.

Lector:

REV. T. J. FLYNN.

Secretarius:

REV. H. J. McDEVITT.

Procuratores Cleri:

REV. T. H. MALONE,

REV. W. O'RYAN.

Magistri Caeremoniarum:

REV. W. J. HOWLETT,

REV. P. F. CARR.

Cantores:

REV. J. B. PITAVALL,

REV. H. EGLER.

SYNODALES.

Adfuerunt.

www.libtool.com.cn
EX CLERO SAECULARI.

REV. D. BROWN, J. M.	
“ “ BRUNON, J. B.	
“ “ CARR, P. F.	
“ “ CARRIGAN, J. P.	
“ “ CARMODY, M. J.	
“ “ DESAULNIERS, J. M.	
“ “ DOWNEY, E.	
“ “ DOYLE, J. M.	
“ “ EGLER, H.	
“ “ FLYNN, T. J.	
“ “ FITZGERALD, T.	
“ “ GIBBONS, J. J.	
“ “ HARNEY, L.	
“ “ HOWLETT, W. J.	
“ “ LEY, E.	
“ “ McDEVITT, H. J.	
“ “ MCGREVEY, J.	
“ “ MALONE, T. H.	
“ “ MONTENARELLI, A.	
“ “ MORTON, G.	
“ “ O'RYAN, W.	
“ “ PITAVALL, J. B.	
“ “ RAEER, G.	
“ “ RIVALLIER, F.	
“ “ ROBINET, P.	
“ “ USSEL, G.	

EX CLERO REGULARI.

REV. D. BRUCKER, A. P., S. J.	
“ “ GUIDA, J. B., S. J.	
“ “ GUTMANN, R., O. S. B.	
“ “ KOCH, F., O. S. F.	

“ “ LEGGIO, G., S. J.
 “ “ MARRA, J. M., S. J.
 “ “ PERSONÉ, S., S. J.
 “ “ TOMASSINI, P., S. J.
 “ “ WIRTNER, M., O. S. B.

Legitime abfuerunt.

ADM. REV. D. RAVERDY, J. B., V. G.
 “ “ ABEL, A. J.
 “ “ BENDER, F.
 “ “ CUSHING, J.
 “ “ EDER, V., O. S. B.
 “ “ HICKEY, J. G.
 “ “ MCGAVICK, A.
 “ “ MORRISON, W. H., S. J.
 “ “ O'DRISCOLL, M. L.
 “ “ O'REILLY, W.
 “ “ PHILLIPS, P. A.
 “ “ PINTO, C. M., S. J.
 “ “ RAMOS, A. M., S. J.
 “ “ RIORDAN, J. J.
 “ “ ROBINSON, H.
 “ “ TOMASSINI, F. X., S. J.

PROCLAMATIO
www.libtool.com.cn

CONCILII BALTIMORENSIS PLENARII III.

Quamquam, quae in tribus Conciliis Baltimorensibus decreta atque constituta sunt, effectum suum sortita fuerint et vim legis habuerint statim post promulgationem per Reverendissimum Legatum Apostolicum factam, tamen et ad cautelam et ad maiorem solemnitatem Patres Concilii voluerunt, ut post illam promulgationem, iterum in synodis dioecesanis promulgarentur. Itaque:

“Acta et decreta trium Conciliorum Baltimorensium, quatenus huius dioeceseos status religiosus et circumstantiae sinunt, prima hac Synodo Dioecesana promulgamus, et ab omnibus Sacerdotibus, sacra munera in hac dioecesi exercentibus, servanda stricte praecipimus.”

www.libtool.com.cn
CONSTITUTIONES.

TITULUS I.

DE OFFICIALIBUS EPISCOPI.

I. *Qui et quot sint.*

Officiales, quorum opera et consilio in Dioecesi nostra administranda utemur, sunt: Vicarius Generalis, Cancellarius, Secretarius et Consultores Dioecesani.

Consultores eligentur ad triennium.

II. *De Dioecesis consultationibus.*

Consultores Dioecesanos quater in anno aut saepius, si fuerit necessarium, convocabimus, ut opera eorum in rebus a Concilio Plenario Baltimorensi indicatis adjuvemur.

Secretarius omnia, quae ibi dicta vel determinata fuerint, in registro scribet.

III. *De Curia Ecclesiastica.*

Quoniam Instructio "CUM MAGNOPERE" illam datam die 20 Julii 1878 postposuerit, omnia quae in posterum ad causas criminales sive disciplinares pertinebunt, juxta illius Instructionis normam dijudicanda erunt.

Pro Officialibus Curiae, Confer Indicem.

TITULUS II.

DE CLERO DIOECESANO.

IV. *Juramentum praestabunt.*

Omnes, qui titulo missionis inter sacros ministros hujus dioeceseos cooptari cupiunt, juxta repetitas S. Congregationis declarationes, prius juramentum emittere tenentur, quo spondeant se in dioecesi perpetuo, in divinis administrandis, laborem suum et operam, sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impensuros. (Conc. Plen. III. 61.)

V. *Clerici advenae probentur, priusquam admittantur.*

Nullus sacerdos alienae dioeceseos in clerum nostrum inscribi potest, quin prius litteras commendatitias et excardinationis a suo Episcopo afferat atque exhibeat, et qui post probationem triennii in ministeriis sacris probabitur; si probatio fuerit ad edificationem, et illum idoneum nos reperiamus, expresso decreto dioecesi adscribetur. Ex communi vero consilio et consensu utriusque Episcopi atque ipsius sacerdotis, poterit is ex propria dioecesi excorporari et in nostram incorporari absolute et immediate, praetermisso probationis tempore. (Conc. Plen. III. 63.)

VI. *De litteris admissionis et dimissionis.*

Decernimus quod, sicut nullus sacerdos exterus in hanc dioecesim adscribendus est, priusquam litteras dimissoriales proprii Episcopi rite confectas nobis exhibuerit, ita neque hae litterae ulli sacerdoti a nobis dandae erunt, nisi certo constet eum ab alio Episcopo in dioecesim suam fore admittendum. (Conc. Plen. II. 122.—Conc. III. 67.)

VII. *Abeuntes facultates amittent, nec passim redeuntes adquirent.*

Sacerdotes, qui dioecesim reliquerint cum animo non rede-

rundi, eo ipso facultatibus quibuscumque in hac dioecesi privantur; atque si postea redierint, etiam pertranseunter, neque missam celebrent, neque aliam quamlibet functionem sacram exercent, nisi nostram specialem permissionem in scriptis habeant.

VIII. *Jura eorum ad tempus huc accedentium.*

Sacerdotes, qui ad nostram dioecesim, ad valetudinem recuperandam, aliamve ob causam ab Ordinario suo approbatam, venerint, nullam autem petitionem pro incardinatione porrexerint, tamquam hospites sacerdotales habebuntur, et nulla jura quoad incardinationem sortientur, etsi plures annos in dioecesi, nobis permittentibus, versati sint, et facultates dioecesanæ exercuerint.

IX. *De exclaustorum admissione.*

Quod pertinet ad sacerdotes religiosos, qui a suis congregationibus seu institutis egressi sunt, atque in hanc dioecesim adoptari desiderant, sequendæ sunt regulæ a Pl. Conc. Balt. III, 65, traditæ.

X. *De Rectoribus et Missionariis.*

Rectores illi tantum erunt quos nos ut tales designabimus; alios autem sacerdotes tamquam Missionarios habebimus, quorum opera uti ubilibet in Dioecesi in animo est, prout fidelium utilitati magis convenire in Domino judicaverimus.

XI. *De Districtibus Ecclesiasticis.*

Districtus etiam ecclesiasticos, paroeciarum instar, illorum curæ commitemus quos parochos vocamus. Missionariis quoque districtus assignabimus intra quorum limites munus suum exercere et fidelium ibi degentium curam habere debent; illis sacramenta administrare tenebuntur, et illorum salutem invigilare.

XII. *De ministeriis extra paroeciam et in extraneos.*

Extra paroeciae vel districtus eis commissi limites, nullum sacerdotem volumus exire ad munus pastorale exercendum, nisi forte ad infirmorum, qui eum accersiverint, confessiones excipiendas; nec aliorum pastorum oves ad ecclesiam suam accedentes licebit ad sacramenta (exceptis Eucharistia et Poenitentia) admittere, sine pastoris proprii consensu, si ipsius habendi copia sit, vel venia. Nostra, nisi grave valde incommodum et detrimentum animarum ex ministerio denegato plane oriturum sit; de quo tenebitur pastorem proprium quamprimum scripto edocere, et nomina in registro describenda, si inscribenda sint, statim tradere.

XIII. *Quibus oblationes debentur.*

In casibus autem, in quibus ex hac extraordinaria facultate sacramenta administrant, cum id ordinario jure facere non possint, omnes striete teneantur oblationes acceptas illi restituere, cujus fuisset sacramenta illa administrare.

XIV. *De absentia a propriis paroeciis.*

Monemus omnes hujus Dioeceseos Sacerdotes, ne absque gravi ratione a Congregatione seu Districtu sibi commissio discedant, etiam per tres dies continuos, praesertim die Dominica, vel festo de praecepto interveniente; ipsis quippe absentibus, (quum alii sacerdotes plerumque desint,) fideles nequeunt praecepto audiendi sacrum satisfacere, et de vita periclitantes subsidio sacramentorum privantur. Quod si discedendi extiterit necessitas, meminerint tridentinam legem exigere ut "Causa prius per Episcopum cognita et probata sit." Licentiam igitur hujusmodi petendam declaramus, quandoque fieri poterit, quoties per integram hebdomadam, vel die Dominica, vel Festo de praecepto, a Congregatione sua vel Districtu sacerdos quilibet, curam animarum gerens, abfuturus est.

TITULUS III.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

www.libtool.com.cn
 XV. *De vestitu clericorum.*

Ecclesia praescribit oportere clericum vestes proprio suo statui congruentes semper deferre: volumus itaque et praecipimus, ut omnes sacerdotes hujus dioeceseos ecclesiae legem servant, domique degentes vel in templo, veste talari quae clerico propria est, semper utantur. Cum foras prodeunt breviori quadam veste indui licet, quae tamen nigri coloris sit et ad genua producat, ita ut a laicis distingui possint. Stricto praecepto sacerdotibus nostris injungimus, ut tam domi quam foris, sive in propria dioecesi degant, sive extra eam, collare, quod romanum vocatur, gerant. (Conc. Pl. III. 77.)

XVI. *De negotiis saecularibus evitandis.*

Sacerdotes, excepto casu necessitatis, sese in testamentis conficiendis non immisceant, neque inconsulto Episcopo, sese constitui sinant executores testamentorum laicorum, aut orphanorum custodes, (guardians,) neque in rebus pecuniariis, aut in executione quorumcumque contractuum se vades aliorum constituent.

XVII. *Cauponae vitandae.*

Monent Patres Concilii Balt II. 161 ut clerici omni studio caveant, "ne corda eorum et conscientiae graventur crapula et ebrietate.

"Ut flagitii occasionem, quae in cauponis et tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarem aditum et usum eis omnino interdiciamus, nisi in itinere necessitatis causa." (Confer Conc. Pl. III. 80.)

XVIII. *Mulierum familiaritas arcenda.*

Quum sacerdotes non solum innocentes verum etiam ab

omni mala suspitione immunes esse debeant, “volumus ut saecularium mulierum, ne suis quidem exceptis, consortio et familiaritate nimia utantur, neque eas, licet propinqua cognatione conjunctas in eadem secum domo commorari sinant, nisi fuerint vita et moribus spectatissimae, quaeque nullo modo, sive directe, sive indirecte, se sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiae administrandis immisceant. Oconomam, ancillam, aliamve famulam nullam habeant, nisi quae sit maturioris aetatis, famaue integerrima gaudeat. Nunquam coram illis aut propinquis, si quas apud se habeant, de gregis regimine, de ecclesiae negotiis, de parochianorum vitiis aut defectibus verba faciant.” (Conc. Pl. II. 164.)

XIX. *A ludis et spectaculis abstineant.*

Ut ecclesiastico ordini honor suus et decus servetur, mandamus, ut sacerdotes a publicis equorum prorsus abstineant cursibus, a theatris et spectaculis.” (Conc. Pl. III. 79.)

XX. *De rebus politicis et saecularibus ne tractent.*

Sacerdotes in ecclesia a rebus politicis aut mere saecularibus discutiendis, tum extra ecclesiam, tum multo magis in ipsa, sedulo abstineant. (Conc. Pl. III. 83.)

XXI. *Negotiationes rejiciendae.*

Canonum praecepta de illicita clericorum negotiatione ab omnibus stricte servanda esse declaramus. (Conc. Pl. III. 82.)

XXII. *Medicorum exercitium prohibetur.*

Medicinam et chirurgiam, nec lucri gratia, nec caritatis specie, exercent. (Id.)

XXIII. *Litigationes in foro saeculari vitentur.*

Hortamur sacerdotes nostros, “ubi cum homine etiam saeculari et de rebus temporalibus difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res ali-

ter componi nequeat.” (Conc. Balt. II. 155.) Omnino vetamus, ne contra laicum de pecunia pro sedium locatione, vel alia de causa ecclesiae debita, coram tribunali civili agant, nisi accepta prius in scriptis Episcopi licentia. Ad tuendam porro immunitatem ecclesiasticam, quatenus inter nos fieri potest, districte iisdem prohibemus, ne contra sacerdotem, vel clericum de rebus etiam temporalibus, coram iudice civili litem intentent, sine permissione scripto expressa ipsius Ordinarii, cujus erit in omnibus hujusmodi casibus litem, quantum fieri potest, amice componere, re etiam, si opus sit, ad consultores vel aedituos delata.

“Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, excommunicationem, speciali modo Romano Pontifici reservatam, ipso facto incurrunt.” (Conc. Pl. Balt. III. 84.)

XXIV. *De missae, diebus festis, intentione.*

Juxta decretum a S. C. De Prop. Fide, nuper editum, nullae hactenus in hac regione sunt Paroeciae canonice institutae; proindeque pastores non tenentur ex justitia Missam pro populo sibi commissio diebus Dominicis et Festis applicare. Cum autem id ex caritate valde deceat, eos omnes enixe in Domino hortamur, ut Missam diebus praedictis applicent pro populo a quo sustentationem accipiunt.

TITULUS IV.

DE ZELO ANIMARUM.

XXV. *Quae prae oculis habenda sint.*

“Non vos me elegistis sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.” Sacerdos verbo et exemplo oves sibi commissas instruere, et qua pas-

tor animarum pascere debet, ut sit fidelibus in exemplum in omni castitate et doctrina, illuminet his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, et paret Domino plebem perfectam. Videte, fratres, vocationem vestram, et merito cognoscetis dignitatem vocationis vestrae, ut qua novae legis sacrificatores, conscientiarum iudices, mediatores inter Deum et homines, digne ambuletis. Jesus, Bonus Pastor, oves suas cognovit et quaesivit. Zelo accensus civitates, oppida circuibat. Ex tanto zelo divini Salvatoris ad animas salvandas, pretium et dignitatem animae humanae satis superque agnoscimus. Audi S. Eusebium: "Si non credis Creatori tuo, qui te ad suam imaginem efformavit, interroga Redemptorem tuum: Ejus humiliactiones, labores et dolores, vita ejus per triginta et tres annos in tanta paupertate totque angustiis, ubique benefaciendo, peracta, docent te, quanta sit valoris et pretii anima hominis." Animas adeo pretiosas Jesus Christus nobis sacerdotibus commisit, quos vocavit, ut piscatores hominum fiamus, "reportantes finem fidei nostrae salutem animarum."

TITULUS V.

DE SANCTITATE STATUS SACERDOTALIS.

XXVI. *Quae semper nostrum animum percellere debeant.*

Ut sacerdotes in omni loco bonus sint odor Christi, facti forma gregis ex animo, memoria altissima reponantur verba Conc. Trid. in proemio sess. 14 et in sess. 23 capt. I. "Moneant Episcopi suos Clericos, ut conversatione, sermone, scientia, Dei populo praeceant, memores ejus, quod, scriptum est: 'Sancti estote quia et ego sanctus sum;' et juxta Apostoli vocem, 'nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum.' Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt." Praeclara sunt verba Sti. Joan. Chrysos.: "Sacerdotium ipsum in terra quidem

peragitur, sed in rerum coelestium classem ordinemque referendum est, atque id quidem merito. Quippe non mortalis quispiam, non angelus, non alia quaevis creata potentia, sed Deus ipse ordinem huiusmodi disponit: idcirco necesse est, Sacerdotem sic esse purum, ut si in coelis ipsis collocatus, inter coelestes illas virtutes medius stet, terribilia namque atque horrida sunt quae administrat. Si quis consideret, quantum id sit mysterium, is probe intelliget, quanto honore, quantaque dignitate sacerdos Spiritus Sancti gratia dignatus fuerit. Etenim iis, qui terram incolunt atque in ea versantur, commissum est, ut ea quae in coelis sunt dispen- sent, iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus Opti- mus Maximus, nec angelis nec archangelis datam esse volue- rit, neque enim ad illos dictum est: quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solve- ritis super terram, erunt soluta et in coelis."

Idem alio loco: "Quo igitur non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividendem, os quod igne spiritali repletur, lin- guam quae tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod angeli viden- tes horrescunt, neque libere audent intueri propter emican- tem inde splendorem: hoc nos pascimur, huic unimur, et facti sumus unum Christi corpus et una caro. Audiamus ergo et sacerdotes et subditi, quali esca facti sumus digni; audiamus et horreamus: sanctis carnibus suis nos dedit expleri, seme- tipsum apposuit immolatum: quaenam igitur erit nobis execu- satio, cum talibus pasti, talia peccemus, cum lupi fiamus ag- num comedentes?"

TITULUS VI.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

XXVII. *De redditibus, eorumque ratione reddenda.*

Ut omnia recte ordinateque procedant, rectores missionum habeant librum computi in quo receptae et expensae, jura et debita, perspicue et accurate suo quaeque ordine describantur. (Conc. Plen. III. 275.)

Libri computi mitti debent ad Ordinarium die primo mensis Octobris uniuscujusque anni, et ea inter, de quibus ratio specificè reddenda est sunt, Penny Collections, Seat Money, Pew Rent, Extra Collections, whether monthly, quarterly or yearly, Christmas and Easter Collections. Collecta autem pro orphanis accurate adnotanda sunt et ratio de illis exhibenda intra hebdomadam post primam Dominicam Octobris.

XXVIII. *De inventariis.*

Praeterea, ne rectores et piorum locorum curatores proprias suas res rebus Ecclesiae immisceant, cum famae suae discrimine, fidelium offensione, vel injuria Ecclesiae, duplex conficiant rerum inventarium. In utroque hoc inventario diligenter bona, tam mobilia quam immobilia, quae ad missionem vel locum spectant, notentur; in eo vasa sacra sacramque omnem supellectilem describant; omnia recenseantur quaecumque pertinent at domum presbyteralem, scholas et coemeterium; neque omittant indicari redditus permanentes, si qui sint, et onera, quibus ecclesia vel locus subjicitur. Inventarii unum exemplar a pastore vel curatore, et aedituis vel consiliariis, subscriptum, ad cancellarium mittatur, ut in archivo dioeceseo servetur, alterum in archivo missionis vel loci asservabitur. Inventarium singulis annis a pastore, et aedituis (*Trustees*) vel consiliariis, recognoscatur, bona intra annum acquisita vel onera suscepta addantur, quorum item catalogus, rite signatus, cancellario transmittatur. (Conc. Pl. III. 276.)

XXIX. *De donationibus.*

Ne contentioni inter successorem et decessorem de rebus mobilibus locus relinquatur, servetur regula statuta: ea scilicet, quae ecclesiasticis usibus apta rectori missionario donantur, esse missioni donata, nisi contrarium clare et indubitanter pateat. (Conc. Pl. III. 276.)

XXX. *Aere alieno ne graventur.*

Strictissime prohibemus, vetamus et interdicimus, ne quis rector, sacerdos, et pii loci curator, sive ecclesiae sive missionis sive Episcopi nomine, ecclesiam suam vel locum, aere alieno gravare quocumque titulo vel colore audeat ultra \$300 sine expressa et scriptis exarata licentia Ordinarii. (Conc. Pl. III. 279.)

XXXI. *De pecuniarum mutuo.*

Reprobamus quoque ac damnamus eum, qui haud paucis in locis inolevit morem deponendi apud sacerdotes pecuniam, ea lege, ut foenore aucta stato tempore recuperetur. Praecipimus itaque ne quis hujusmodi deposita in posterum accipiat, nisi prius Episcopi venia, in scriptis concedenda, habeatur. "Et illud quidem omnes pro comperto habeant, Episcopos nullo modo teneri ad solvendum, si quis clericus, contra hanc ordinationem, mutuam acceperit pecuniam aut aes alienum contraxerit." (Conc. Pl. III. 279.)

XXXII. *Poenā contra transgressores.*

Si quis sacerdos in proprium sui ipsius commodum ecclesiam seu missionem aere alieno gravare, sine Episcopi licentia, audeat, censura ecclesiastica plectetur. (Ibidem.)

XXXIII. *Contra incendia assecuratio.*

Propter semper imminens incendiorum periculum mandamus, ut omnia aedificia ecclesiastica, contra damnum ex in-

cendio oriundum, ab una vel pluribus societatibus, fiducia publica merito gaudentibus, nomine corporationis vel Ordinarii, tempestive assecurentur. (Conc. Plen. III. 283.)

XXXIV. *Testamenta conficiantur.*

Omnes hortamur sacerdotes ut de bonis suis, si ulla essent ipsis, testamentum ad normam legum tempestive conscribant. (Conc. Plen. III. 277.)

TITULUS VII.

DE AEDITUIS LAICIS (TRUSTEES.)

XXXV. *Qui et quomodo eligendi.*

Ut omnis suspicio et periculum avaritiae, vel neglectus, vel minus peritae administrationis rerum temporalium ecclesiae, et odium quod in illis administrandis saepissime contrahitur, a sacerdotibus procul removeantur, in unaquaque ecclesia aliquos viros prudentes, aedituorum instar, ex iis quorum nomina ab ipso pastore ecclesiae fuerint ad hoc proposita, nominabimus. Eorum consilio utatur sacerdos in administrandis rebus temporalibus ecclesiae. (Conc. Plen. III. 284.)

XXXVI. *Rectori subjiuntur.*

Coetus aedituorum, sic constituti, missionis rector ex officio suo erit praeses, sine cujus consensu nihil in coetu agendum vel statuendum est.

XXXVII. *Dissensiones ab Episcopo decidendae.*

Si qua ullo tempore discrepantia, rectorem inter et aedituos vel consiliarios, de rebus gerendis exoriat, nec dissensio-

nem pacifice componere ipsi per se valeant, controversia ad Episcopum referatur, cujus iudicio ac sententiae omnes parebunt. (Conc. Plen. III., 287.)

www.libtool.com.cn

TITULUS VIII.

DE MODIS PROHIBITIS PECUNIAS AD PIAS CAUSAS COLLIGENDI.

XXXVIII. *De collectis ad fores ecclesiae.*

Praxim, sicubi forte existat, pecuniam exigendi ad fores ecclesiae, Dominicis ac Festis diebus, ut quis ingredi possit ac sacrosancto Missae sacrificio interesse, eliminari praecipimus. (Conc. Pl. III. 288.)

XXXIX. *De renitentibus stipem dare.*

Districte prohibemus quominus sacerdos, ubi gravis culpa non apparet, sacramentalis absolutionis beneficium deneget fidelibus, qui nolint collectis stipem dare, ad quam sub peccato gravi teneri non constat, vel (quod longe detestabilius est) aegrotantibus ac morti proximis adsistere ac sacramenta praebere recuset. (Conc. Plen. III. 292.)

XL. *De colligendis eleemosynis extra districtum.*

Nullus sacerdos, curam animarum in dioecesi exercens, eleemosynas in districtu alterius sacerdotis, sine Ordinarii consensu in scriptis, vel Rectoris respectivi, colligere audeat. Personae autem extraneae, sive sacerdotes, sive laici, colligere volentes, a nullo sacerdote licentiam obtinere valent, nisi Ordinarius veniam in scriptis iis prius concesserit.

XLI. *Ab altari non discedatur ad eleemosynas petendas.*

Non decet sacerdotes intra Missarum solemnias ab altari

recedere, aedemque sacram circumire, ut a fidelibus eleemosynas petant. Hanc perversam agendi rationem vetamus. (Conc. Plen. II. 364.—III. 293.)

www.libtool.com.cn

TITULUS IX.

DE BAPTISMO.

XLII. *Quam citius administretur.*

Instante rogamus, ut Christi sacramentorum ministri nullo modo sint causa, cur sacramentum Baptismi, adeo infantibus necessarium, differatur cum periculo salutis, id quod tamen facile accideret, si hujus sacramenti administrationem ad unam alteramve diem infra hebdomadam limitarent, aliterve erga rogantes parentes morosos sese ostenderent.

XLIII. *Quae nomina imponenda.*

Caveant quoque, ne morem gerant parentibus aut amicis exquirentibus, ut nomen aliquod fabulosum aut ridiculum baptizando imponatur, sed curent potius, ut quatenus fieri possit, nomina imponantur sanctorum, quorum exemplis fideles excitentur ad pie vivendum, et patrocinii protegantur. (Conc. Balt. II. 232.)

XLIV. *Qui et quot Patrini admittendi.*

Sedulo, in patrinis adhibendis in baptismo solemnibus, servetur lex. Plures quam duo adhiberi non possunt, ne cognationes multiplicentur, et quamvis non videatur requiri ab ecclesia patrinus nisi in baptismo solemnibus, in baptismo privato tamen laudabilius adhibebitur. Caveat etiam Parochus ne tamquam patrilinos admittat duos viros aut duas feminas; nam juxta Conc. Trid. patrini esse debent duo ad summum, nempe vir et femina.

XLV. *Qui arcendi.*

Amoveantur a patrini officio omnes, qui sunt pravis moribus et perdita fama, ac proinde illi, qui sunt adscripti societatibus secretis, et ut tales publice cognoscuntur.

XLVI. *Quid agendum in casibus extraordinariis.*

In casu quo praevideatur periculum magnae offensionis, si patrinus haereticus a parentibus designatus non admittatur a Parocho, poterit tunc permitti ut adsit quasi testis, quin admoneatur de tangendo infante, cum aqua infunditur.

XLVII. *De iis quae fieri nequeunt.*

Meminerit Parochus, mortale esse omittere caeremonias omnes, vel aliquam ex eis notabilem. Mortale esse omittere unctionem Chrismatis vel Olei Catecumenorum, aqua non consecrata baptizare, vel extra ecclesiam, sine necessitate vel aliquo magno incommodo. Neque potest baptismus in Sacristia conferri, non obstante quacumque consuetudine, nisi adsit rationabilis causa ab Episcopo approbata.

XLVIII. *Ubi administrandus baptismus.*

Qui ruri degunt, aut in pagis aut oppidulis, ubi nulla est ecclesia, infantes ad ecclesiam propinquiorem vel stationem, in qua sacrum fieri solet, baptizandos adducant. Quod si ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, vel alias graves causas, hoc fieri nequeat, tunc missionarii conscientiae et prudentiae relinquimus ut eos domi cum omnibus ecclesiae caeremoniis, baptizet. (Conc. Balt. II. 237.)

XLIX. *De examine et receptione conversorum.*

Diligentissimum instituat examen sacerdos, antequam eos recipiat, qui unico Christi ovili incorporari postulant, ne Sacramentum Baptismi, prorsus initerabile, temere renovetur. Omnibus tamen diversarum sectarum perpersis doctrinis,

semper, nisi in casu quo nullam sit dubium de Baptismo praecedente, sub conditione baptizare licet, imo forsitan debet. Facta investigatione, recipiendus erit neo-conversus juxta modum descriptum in Instructione S. Officii Anni 1859, quam videre est in calce Conc. Balt. Plen. II., et in Ritualibus communiter.

L. *Quid in conditionata et absoluta Baptismi administratione faciendum.*

Si examine facto, Baptismus absolute conferatur, nulla sequitur abjuratio neque absolutio: si sub conditione Baptismus sit iterandus, tunc 1. Habetur abjuratio seu professio fidei. 2. Baptismus conditionalis. 3. Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata. Quando denique validum judicandum fuerit Baptisma, sola recipitur abjuratio seu professio fidei, quam absolutio a censuris sequitur.

LI. *De craniotomiae licetitate.*

“Non esse licitam operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, quando scilicet omissa ea mater et filius perituri sint, ea e contra admissa salvanda sit mater, infante pereunte,” respon. S. Off. 1884. Moriente matre gravida, etiamsi conceptio a brevi tempore sit, inducat sacerdos maritum defunctae, vel propinquos, aut virum in munere publico constitutum, (ne sacerdos legis civilis laesae reus videatur,) ut chirurgus aut medicus advocetur, et sectio vel operatio Caesarea quam citissime fieri possit, et foetus, si adhuc vivens, baptizetur. (Lehmkuhl.)

TITULUS X.

DE CONFIRMATIONE.

www.libtool.com.cn
 LII. *Ne in longum differatur.*

Quod ad sacram Confirmationis Sacramentum spectat, omnes Christi legatione fungentes hortamur, ut maximo cum studio de isto, nostris temporibus tam necessario sacramento, instructiones saepe tradant, neque quemquam, ut aliquando accidit, multos transire annos sinant, antequam illud recipiat.

LIII. *Quomodo olea sacra servanda.*

Olea sacra in vasculis suis argenteis, aut saltem stanneis bene coopertis, et suis inscriptionibus litteris majusculis incisis, Sacerdos decenter asservet in loco proprio, honesto ac mundo, sub clavi ac tuta custodia, ne a quoquam nisi a sacerdote, vel alio ecclesiae ministro temere tangantur.

LIV. *Quando renovanda et ubi condenda.*

Curet etiam ut quotannis et tempestive olea sacra renoventur. Asservari autem possunt sive in sacristia, sive in ipso sacello baptisterii, sive in armario prope altare majus extracto.

LV. *De usu novi et veteris chrismatis.*

Rigore sumenda est prohibitio utendi chrismate veteri, seu alterius anni, quando chrisma novum habetur; graviter ergo peccaret sacerdos, qui posthabito chrismate recenti uteretur veteri. Licet autem in Baptismo solemniter uti chrismate anni praecedentis, usquedum consecratum chrisma recens acceptum fuerit; ac proinde non debet chrismatis et olei unctio omitti, eo quod olea recenter benedicta nondum haberi potuerint, neque ea de causa Baptismus differri ad aliud tempus debet, quantumvis breve.

LVI. *Quid circa fontis benedictionem Sabbato Sancto.*

Benedictio autem fontis Baptismalis in Sabbato Sancto fieri debet cum chrismate precedentis anni, nisi parochus olea recentia sibi comparare potuerit, nec debet omitti infusio chrismatis et olei, usquedum aliud accipiat. (S. R. Cong. 19 Sept. 1859.)

TITULUS XI.

DE EUCHARISTIA.

LVII. *De Sacrae Communionis frequentia.*

Quod ad Sacram Eucharistiam frequentissime recipiendam pertinet, nihil novi, praeter ea quae ab omnibus cognita sunt, addendum habemus.

LVIII. *De quadraginta horarum expositione.*

Ad Christi fidelium autem erga SS. Sacramentum adaugendum amorem, diligenter integram per nostram dioecesim servari cupimus devotionem illam pulcherrimam, qua SS. Eucharistia in forma precum Quadraginta Horarum in ecclesiis solemniter exponitur et colitur.

LIX. *Prohibetur nocturno tempore, et indulgentiae declinantur.*

Expositio horis nocturnis, ex dispensatione apostolica, fieri non debet, neque processio ex obligatione. Certiores fideles faciant pastores eos omnes, qui ecclesiam, in qua SS. Sacramentum exponitur, semel in triduo visitaverint, indulgentias omnes juxta Clementinam Constitutionem concessas obtinere posse, indulgentiamque plenariam huic visitationi adnexam ab iis omnibus lucrificari posse, qui etiam pridie expositionis Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recipierint.

LX. *Communio Paschalis.*

Commendamus ut Communio Paschalis in ecclesia parochiali suscipiatur, ut, quantum locorum adjuncta sinunt, ecclesiae universalis disciplinam sequamur.

LXI. *Quae prescribuntur circa tabernaculum.*

Sciant omnes SS. Sacramentum custodiendum esse supra corporali in tabernaculo, quod regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contextum et canopaeo opertum. Praeter Crucifixi imaginem nihil omnino tabernaculo superimponatur.

LXII. *Quae circa ciborium.*

Sacra Eucharistia poni debet in pixide seu ciborio ex solida decentique materia, suo operculo bene clauso, et albo velo cooperto.

Vasa florum vel simile quid ante ostiolum tabernaculi retineri non possunt. Lumen semper accensum custodiatur.

LXIII. *De renovatione SSmae. Eucharistiae.*

“Frequenter, juxta Rituale Rom. semel autem in hebdomada,” juxta Episcoporum Caeremoniali, “species renovandae sunt.” “Hanc regulam, ajunt Patres Baltimorenses, quam S. Rituum Congregatio nedum saepius confirmaverit, verum stricte et rigore obligare declaravit, sacerdotibus omnibus fideliter servandam serio inculcamus.”

Addunt praeterea, juxta Rituale Romanum, ubi sacerdos novas consecraverit hostias, veteres primo distribuat, vel sumat, minime vero in tabernaculo servet; curet insuper ut particulae consecrandae recentes sint.

LXIV. *De facultate celebrandi missam de Requiem in festis duplicibus.*

(*Ex Audientia SSmi. diei 11 Septembris 1887.*)

SSmus. Dominus Noster Leo Divina Providentia P. P. XIII,

referente me infrascripto Archiepiscopo Tyren. S. Cong. de Propaganda Fide Secretario, R. P. D. Josepho Machebeuf Episcopo Denverien. facultatem benigne concessit, cum potestate subdelegandi Presbyteris sacro ministerio in sua Diocesi fungentibus, celebrandi Missam de Requiem bis in hebdomada etiam diebus ritus duplicis, exceptis tamen diebus ritus duplicis primae et secundae classis, de praecepto, vigiliis, feriis ac octavis privilegiatis. Valituro praefato Indulto ad quinquennium.

Datum Romae ex Aed. dictae S. Cong. die et anno ut supra.

Pro Secretario

ZEPHYRINUS ZITELLI OFF.

LXV. *Missa media nocte Nativitatis Domini.*

Incommoda, quae ex coetu fidelium habendo mediam sub noctem in die Natalis Domini in his regionibus nascuntur, prae oculis habentes, prohibemus ne absque speciali privilegio ecclesia ulla hujus dioeceseos aperiatur fidelibus ad officia divina vel sacrum accedentibus, ante quintam horam post mediam noctem in festo praedicto. Haec quae statuimus, in fere omnibus archidioecesibus hujus regionis observantur.

LXVI. *Privilegium Officii Divini recitandi.*

Sacerdotes hujus dioeceseos matutinum cum laudibus ab hora duodecima, i. e. a meridie diei praecedentis anticipare, valent.

LXVII. *De securitate aptae materiae Sacrificii Missae.*

Summo studio carent sacerdotes ut sublimis hujus sacrificii sit valida utraque materia. Vinum nativum comparare debent a vitis cultoribus catholicis atque honestis.

LXVIII. *Qua hora celebrabitur.*

Singulis diebus, hora statuta, hoc divinum sacrificium offeratur.

LXIX. *Onera quae suscipere non licet.*

Prohibemus, ne quis hujus Dioeceseos sacerdos, sine permissione nostra, onus Missarum in perpetuum, vel ad plures annos dicendarum, quas fundatas vocant, in se suscipiat.

LXX. *De Rubricarum observantia.*

Curent omnes Missalis Romani Rubricas accurate ac fideliter observare. Consuetudines, aut caeremonias, quae his adversantur, quamvis in aliis regionibus yigeant, diligenter evitent.

LXXI. *Ubi prohibeatur celebrari missa.*

Missa non celebretur in domibus privatis sine nostra approbatione.

LXXII. *Quibus infirmis Eucharistia et Extrema Unctio administranda.*

Moribundi, qui periculoso et diuturno laborant morbo, saepius Sacramento Eucharistiae reficiantur. “Pueri, qui ad annos discretionis pervenerint, vid. septennes, et in mortis periculum inducantur, Communionem, absolutionem et Extrema Unctionem muniendi.” (Lehmkuhl.)

“Aegroto, hectica feбри vel simili morbo laboranti, qui juxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur, missionarius potest administrare Viaticum et Extremam Unctionem, eo quod, quando verior aderit causa ea recipiendi, non poterit haberi praesens missionarius, ob magnam distantiam et alias causas.” (Lehmkuhl.—S. C. de Prop. resp. 1801.)

LXXIII. *De aliis modis eos juvandi.*

Zelus maximus sit in visitandis infirmis et agonizantibus, etiamsi ultima receperint sacramenta: “Et illos exhortetur pastor, consoletur, adjuvet, et elcito ab iis, si possit, novo confessionis et contritionis actu, nova identidem donet absolutione.” (Cone. Pl. Balt. II. 116.)

LXXIV. *Quibus diebus sollemnis expositio SS. Sacramenti haberi poterit.*

Solemnam benedictionem, et quidem semel in die, in dioecesi nostra impertiri concedimus singulis diebus Dominicis, festis de praecepto et festis I cl., festo SSmi Cordis et prima feria VI cujusvis mensis, quotidie in exercitiis spiritualibus annuis Sacerdotum et Communitatum religiosarum, ter in qualibet hebdomada Quadragesimae, quotidie in exercitiis mensis Maji in honorem B. M. V., in festo Corporis Christi, et quotidie per Octavam.

LXXV. *Quando abstinendum, quodque curandum.*

Illud autem haud exponendum, dum Missa celebratur, vel vesperae cantantur, censemus, nisi in ipso festo Corporis Christi, vel per Octavam, vel in Quadraginta Horarum Adoratione. Monemus praeterea illam expositionem ita faciendam, ut etiam externo ritu tanto Sacramento concilietur reverentia.

LXXVI. *De Consecratione annua SS. Cordi Jesu facienda.*

Statuimus ut in qualibet ecclesia Consecratio SSmo. Cordi Jesu, dum SSimum. exponitur, quotannis fiat, Dominica infra Octavam festi Sacratissimi Cordis.

LXXVII. *De exercitiis Marianis et Quadragesimalibus.*

Ut devotio erga Beatam Mariam Virginem nutriatur, et in dies crescat, exercitia pia per mensem Maji in unaquaque Ecclesia, apud quam sacerdos residet, locum habeant. Per tempus Quadragesimale, saltem semel in hebdomada, concio habeatur, et Viae Crucis exercitium feria VI peragatur.

TITULUS XII.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

LXXVIII. *Habeantur confessionalia ad confessiones audiendas.*

Confessionalia in ecclesiis in loco patenti ac publico erigenda sunt. Confessiones mulierum vel puellarum in aedibus vel alibi extra confessionalia non audiantur, exceptis quae surdae sunt, aut aegrotae. In confessionibus excipiendis, tam intra confessionalia, quam in missionibus procul ab ecclesia, curandum erit, ut locus sit publicus et patens, et ut per crates interpositas confessiones excipiantur.

LXXIX. *Pueri saepius confiteantur.*

Iterum iterumque hortamur sacerdotes ut cura maxima adolescentes sacramentis frequentandis assuefaciant. Liberi, qui nondum ad sacram primam synaxim accesserunt saltem quater in anno, i. e. singulis Quatuor temporibus, ad confessionem sacramentalem admittantur.

LXXX. *Quomodo induti confessiones sacerdotes audiant.*

Sacerdotes, audituri confessiones, talari veste, superpelliceo et stola violacea utantur, salva Religiosorum consuetudine legitima, qui tamen stolam violaceam super vestimenta ipsorum religiosa semper adhibeant.

LXXXI. *Sigillum sancte servetur.*

Sigillum sacramentale scrupulose servetur; et in colloquio familiari, de rebus in sacro tribunali auditis nunquam fiat sermo.

LXXXII. *Ad audiendas confessiones praesto sint.*

Statutis quibusdam diebus, et horis populo opportunis,

praesertim sabbatis et vigiliis festorum de praecepto, in ecclesia se sistant sacerdotes, curam animarum habentes, ad confessiones excipiendas.

www.libtool.com.cn
LXXXIII. *De casibus reservatis.*

Intelligent Sacerdotes in facultatibus, quas eis per litteras jurisdictionis concedimus, non omnia comprehendere peccata, adeoque eis, absque speciali facultate a Nobis, vel ab Apostolica Sede impetrata, non competere potestatem absolvendi

1. Ab haeresi et apostasia a fide et Schismate eos, qui in loco ubi Sanctum Officium exercetur (e. g. Romae) deliquerint.

2. Complices sibi in quolibet peccato mortali externo contra castitatem.

3. Sacerdotem omnem, qui in confessione aut occasione aut praetextu confessionis, vel in loco ad accipiendas confessiones destinato, ad peccandum contra castitatem sollicitaverit.

4. Personam in confessione, aut occasione, aut praetextu confessionis, aut in loco ad confessiones accipiendas destinato, ad peccandum contra castitatem a confessario sollicitatam, nisi prius sollicitantem Ordinario denunciaverit.

5. Sacerdotem qui complicem sibi in ejusmodi peccato absolverit.

6. Personam cujuscumque sexus, quae sacerdotem aliquem falso de sollicitatione denunciaverit. (')

7. Catholicos qui post annum 1861, vel inter se vel cum acatholica parte coram praecone haeretico matrimonium contraxerunt, quique poenam excommunicationis inde incurrerint.

8. Catholicos utriusque sexus, qui matrimonium, conjuge superstite, contrahere attentaverint. et inde in excommunicationem inciderint. (Conc. Balt. III. 124.)

LXXXIV. *De audiendis Religiosarum confessionibus.*

Ad absolvendas religiosas, eis exceptis quae justa de causa extra monasterium suum versantur, specialem a nobis requiritur facultas. Verba autem "extra monasterium versari" intelligi debent, extra monasterium esse, (e. g. in itinere,) ut ordinarii confessarii copiam religiosa habere nequeat.

LXXXV. *Quae nequeant nisi ordinarium confessorem adire.*

Quod si in urbem, ubi ordinarius confessorius habitat, quaedam religiosa egrederetur, (e. g. ad negotia peragenda,) ad alium praeter ordinarium confessorium accedere nequit, nec ipse illam absolvere potest, siquidem copia ordinarii confessorii haberi valeat.

TITULUS XIII.

DE EXEQUIIS ET SEPULTURA.

LXXXVI. *Quando permittantur in privato praedio.*

Quum plures quotidie ad fidem convertantur, quorum consanguineorum corpora in fundo domestico alieni coemeterii conduntur, pariterque multi Catholici proprium fundum jam possiderint, antequam lex fuisset lata, (anno 1853,) vel certe sine ulla fraude post legem acquisierint, durum ipsis videtur post mortem ecclesiastico ritu funeris omnino privari, nisi sepulturam sibi eligant ab illa consanguineorum et affinium se-junctam. In istis casibus declaramus licere ritus ecclesiasticos adhiberi, sive domi sive in ecclesia, quotiescumque ab Episcopo, ob graves rationes, interdictum non fuerit.

LXXXVII. *Quid de iis qui addicti fuerunt secretis societatibus.*

Catholici societatibus secretis alligati, non solum ad sacramenta admittendi non sunt, quamdiu ligamen cum istis non solvunt, sed etiam sepultura ecclesiastica denegari debet iis qui usque ad mortem in istis societatibus pertinaciter manserunt. Quod si aliquando contigerit, aliquem moribundum societati renunciasse, et pacem Ecclesiae impetrasse, ritus sacros in ejus sepultura adhiberi permittimus, ea tamen con-

ditione, ut socii superstites, propriis ornati insignibus, funus non comitentur.

LXXXVIII. *Ubi sepeliendi parvuli sine baptismo.*

Parvuli sine baptismo decedentes seorsim in loco non benedicto sunt sepeliendi.

LXXXIX. *In Ecclesia funera celebranda, ritusque Ecclesiae servandi.*

Exequias defunctorum, quantum fieri potest, in ecclesia celebrentur. "Sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, et summorum Pontificum institutis, sancta mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam vera religionis mysteria, Christianaeque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debent, atque usu retinere. His itaque praestandis, qua par est modestia ac devotione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quaestum, ejusmodi ritus sancte instituti esse videantur. Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur." (Rit. Rom.)

XC. *Doccantur fideles quae vera sint suffragia.*

Graviter monemus pastores, ut fideles edoceant, non externa pompa vanoque apparatu, quibus persaepe vivorum potius quam mortuorum quaeritur honor, animas defunctorum juvari; multum vero eleemosynis, bonis operibus precibusque piis, ac praesertim oblatione sacrificii Missae.

XCI. *Qui ecclesiastica sepultura privantur. Quid in casibus dubiis agendum.*

Sepultura ecclesiastica privantur infideles, haeretici et schismatici; excommunicati notorii et vitandi; increduli vel

apostatae; suicidae, nisi probabile sit eos in amentia, sive rationis impotes, sibi vim intulisse, aut ante decessum poenitentiae signa dedisse; omnes peccatores publici et notorii, qui in impenitentia defuncti sunt, denum, qui duello perierint, dederint vel non dederint resipiscentiae indicia.

In dubio consulendus erit Ordinarius, cum id fieri poterit; secus autem in partes lenitatis et misericordiae propendeat iudicium.

TITULUS XIV.

DE MATRIMONIO.

XCII. *De contrahentium et sacerdotum obligatione, deque poena transgressorum.*

Quum matrimonium sacramentum magnum sit, in Christo et in Ecclesia, rite semper et sancte celebretur. Graviter ergo peccant, qui neglecto sacerdotum ministerio, coram magistratu civili, gravius etiam, qui coram praecone protestantico, illud contrahunt. Nullus sacerdos in hac dioecesi adsistat matrimonio eorum, qui in matrimoniis mixtis coram sacerdote catholico prius contrahunt et postea coram praecone, vel vice versa.

Decernimus Catholicos, qui coram ministro cujuscunque sectae acatholicae matrimonium contraxerint, vel contrahere attentaverint, excommunicationem ipso facto incurrere Nobis reservatam.

XCIII. *Quibus in casibus haec poena mitigetur, et quid tunc agendum.*

Si autem mora necessaria ad facultatem absolvendi petendam a Nobis, vel a Vicario nostro Generali, magnum aliquando afferat incommodum, indulgemus, ut a pastore loci, vel si copia ipsius adeundi non sit, a quocumque sacerdote,

qui facultatibus gaudet excipiendi confessiones, absolvi possint extra tribunal poenitentiae, gravi prius injuncta poenitentia. In his autem casibus Nos, vel Vicarium Nostrum Generalem, monere quamprimum sacerdos, qui eos absolvit, tenebitur, et rationes assignare, ob quas id necesse esse judicaverit. Volumus autem, ut in omni casu absolutio ab hac censura vel palam detur in publico fidelium coetu, vel ita saltem ut illius notitia satis publica habeatur, ad scandalum reparandum.

XCIV. *Catholici a mixtis matrimoniis avertantur.*

Sciant sacerdotes et semper prae oculis habeant, mala per multa, ut experientia in nostra dioecesi satis probavit, ex matrimoniis mixtis fere semper oriri. Quapropter omnibus sacerdotibus nostris in Domino praecipimus, ut summa diligentia tam publice quam privatim fideles ab istis matrimoniis arcere conentur. Dispensationes ergo in matrimoniis, ubi intercedit impedimentum dirimens, vid. disparitatis cultus, vel impedimentum impediens, vid. diversae religionis, raro, et non nisi ob graves causas canonicas, a nobis conceduntur. Ecclesia enim semper aversata est nuptias inter catholicos et acatholicos, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob gravissimum periculum vel perversionis catholicae partis vel pravae institutionis proles nasciturae.

XCv. *Cautiones ab Ecclesia requisitae in matrimoniis mixtis.*

Hinc fit, ut quando de impedimento mixtae religionis agitur. Ecclesia sine gravi causa et absque promissione adhibendi cautiones, quibus periculum pro parte catholica et prole fiat remotum, nunquam dispenset. Cautiones autem sunt sequentes:

“Ut scilicet, non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin imo ipse catholicus conjux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum; verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanetitate catholicae religionis educari omnino debeat. Quae quidem cautiones remitti seu

dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali et divina lege fundentur, quam Ecclesia et haec Sancta Sedes sartam tectamque teneri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui, promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem inde excipiendam perversi-
www.ibtool.com.cn
 onis periculo committunt." (Instr. de Matrim. die 15 Nov. 1858.)

XCVI. *Quo modo et ubi haec matrimonia celebranda. Quibus nulla est dispensatio.*

Haec mixta conjugia extra ecclesiam vel sacristiam, et absque sacerdotis benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu, celebrari debent. Italis autem, de quibus non constat italicum domicilium omnino deseruisse, ex decreto Pii IX, (Inquis.) dispensationes de impedimento mixtae religionis concedi non possunt. Neque dari potest dispensatio in casu matrimonii catholici cum viro vel muliere Judaeis.

XCVII. *Quodnam sit privilegium Paulinum, et quomodo intelligendum.*

Infidelium matrimonium, ex concessione divina, dissolvi posse constat ex verbis Apostoli, (I. Cor. VII, 15,) quando alteruter conjugum ad fidem convertitur, et alter nec converti ad fidem, nec cum conjuge converso pacifice et sine injuria Creatoris cohabitare velit. Quum hae conditiones verificantur, et conjux ad fidem conversus novum matrimonium init, vinculum, quod per matrimonium in infidelitate contractum constitutum erat, dissolvitur.

Sin autem post baptismum unius conjugis, sed antequam novas ineat nuptias, alter conjux etiam convertatur ad fidem et baptizetur, hic ad illum tanquam conjugem recipiendum tenetur, et ad cohabitandum cum eo compelli potest.

Conjux, qui jam matrimonium in infidelitate cum infideli contraxit, et conversus deinde ad fidem baptizatus fuit, nequit novum matrimonium inire, quin prius interpellet conjugem infidelem circa ejus voluntatem cohabitandi pacifice et sine Creatoris injuria. Quod si conjux infidelis nequeat legi-

time interpellari, recurrendum est ad S. Sedem pro dispensatione.

XCVIII. *De Bannis seu promulgationibus matrimoniorum.*

In locis ubi singulis Dominicis missa celebratur, tribus bannorum proclamationibus, inter missarum solemnias, fidelium matrimonia cohonestari oportet, in ecclesiis in quibus missa una vel duabus dominicis in mense celebratur, pro rata, una vel duae proclamationes fiant.

XCIX. *Qua in ecclesia promulgationes faciendae, etiam clauso tempore. Qui praeesse jus habeat.*

Si contrahentes in diversis paroeciis habitant, in utroque loco fiant proclamationes.

Hoc in casu curet Pastor coram quo Sacramentum perficiendum erit, ut rectam probationem habeat de statu libero illius partis quae alienae paroeciae pertineat.

In ejusmodi praeterea casu, ubi nempe sponsus et sponsa ad diversas paroecias pertinent, coram pastore sive mulieris sive viri sacramentum perficere licet, et ille coram quo perficitur integram oblationem retinere potest.

In mixtis matrimoniis, proprius pastor est pastor partis catholicae, ut patet.

Proclamationes fieri debent etiam tempore clauso, i. e. a Dominica I Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive.

C. *Quod jus dispensandi sacerdos habeat.*

Quilibet sacerdos de una bannorum promulgatione dispensare potest.

CI. *De hora diei et loco celebrandi matrimonia.*

Matrimonia fidelium semper in ecclesia celebrentur, nisi ecclesia adhuc desit. Ardenter autem desideramus, ut matrimonia quantum fieri potest, celebrentur mane et cum missa.

pro Sponso et Sponsa, in qua benedictio nuptialis excipiat. Haec specialis benedictio extra missam dari non potest.

CII. *Quodnam sit quasi domicilium.*

Quasi domicilium in ordine ad matrimonium censetur commoratio per spatium unius mensis, seclusa intentione de animo ibi per maiorem partem anni manendi. (Inquis. 1886.)

CIII. *Specialis concessio absolvendi pro retroactis casibus.*

N. B. Conceditur facultas ab Ordinario hujus dioeceseos ut quilibet sacerdos possit ab hac die 10 Aug. usque ad diem primam (exclusive) Jan. 1890 illos absolvere, qui ante diem 1 Aug. aliquo modo matrimonium contra ordinationes ecclesiae contraxerint. Qui autem ita fecerint a die prima Aug. 1889, illi in casum reservatum, et in excommunicationem Nobis reservatam, inciderunt.

CIV. *Dispensationes telegrapho ne committantur.*

Dispensationes non debent peti per telegraphum nisi gravissima urgeat causa.

CV. *Parocho proprio oblationes debentur.*

In casu in quo nubentes pertinent ad aliam paroeciam, et extra eorum paroeciam, cum licentia parochi, matrimonio junguntur, oblationes integrae ad eorum parochum mittendae sunt.

CVI. *Cum duo sint parochi proprii, oblationes dimidiabunt.*

In casu in quo nubentes ad duas diversas paroecias pertinent, et extra eorum paroeciam, cum licentia utriusque eorum parochi, matrimonio junguntur, dimidentur oblationes et utriusque pars ad utriusque parochum mittatur.

CVII. *Ecclesia aversatur matrimonia mixta.*

Hortamus vos omnes in Domino et obsecramus, fratres dilectissimi, ut memoria fixa teneatis quae non nostris sed Sanctae Sedis verbis dicturi sumus. Graviter cum oneretur conscientia nostra in dispensationibus erogandis de matrimoniis mixtis, non juxta beneplacitum nostrum tales dispensationes dare possumus: "Ecclesia enim semper aversata est nuptias inter Catholicos et A catholicos, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob gravissimum periculum vel perversionis Catholicae partis, vel pravae institutionis proles nasciturae. (Conc. Plen. III. 130.)

CVIII. *Conditio prolis ex hujusmodi matrimoniis susceptae.*

His verbis Concilium Baltimorese Plen III., sequens instructiones saepe repetitas S. Sedis, nos admonuit de effectibus malis, nec non periculis, quae ex hisce conjugiiis fere semper dimanant, et quae nostra experientia satis superque confirmavit. Cum enim pars acatholica est mulier, penes quam est prima sobolis educatio, quid de Religione liberorum non est timendum? Et contra, si mater quidem Catholicam religionem colat, pater vero acatholicus, in puerorum conspectu dicta uxoris et facta, quae ad Religionem pertinent, joculariter illudat, annon puerilis animus liberorum, penes quos plurimum valet patris auctoritas, de veritate Religionis, quam sequitur mater, nonnihil dubitaverit? Quid, si seria oboriatur inter virum et uxorem de Religione disputatio? Annon liberi, sensim in Religionis prolabantur indifferentiam, qua nihil exitiusius, nihil Religioni inimicius?

CIX. *Conditio ejusdem post catholici genitoris mortem.*

Huc accedit, quod si alteruter conjugum, qui Catholicus sit, vita functus liberos in prima aetate reliquerit, alteri conjugii haeretico liberum erit venenatis sectae suae sensibus filios suos initiare. (Clem. XIII. 1763.)

CX. *Ecclesia haec conjugia, aegre, gravi de causa, magnisque cautionibus, permittit.*

Si Apostolica Sedes mixta haec conjugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis, aegre admodum fecit, et non nisi expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet, non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum; verum etiam, ut universa utriusque sexus proles, ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate catholicae Religionis educare omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fidentur, quam Ecclesia et Sancta Sedes sartam tectamque teneri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis hujusmodi dispensationibus, praeter enuntiatas cautiones, quae praemitti semper debent, et de quibus dispensari nullo modo unquam potest, adjectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta conjugia, extra ecclesiam et absque parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu, celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in catholicorum animis nunquam oblitteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac detertere ab iisdem mixtis conjugiiis, in eorum et futurae prolis perniciem, contrahendis. (Instr. Secret. 1858.)

CXI. *Verba Pii VIII, hac de re, ad Archiepiscopum Coloniensem.*

Pius VIII ad Archiepiscopum Coloniensem gravissime inculcat: "Nostis autem, Ven. frater, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sartae tectaeque habeantur; quandoquidem exploratum est, catholicas personas, seu viros seu mulieres, quae nuptias cum aca-

tholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant; non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem atque divinam legem peccare.”

CXII. *Quibus conditionibus haec dispensatio dari possit.*

Secundum hanc doctrinam, S. Sedes semper constanterque retinuit atque retinet, nullo modo in vetito mixtae religionis fas esse dispensare, nisi singulis in casibus, praeter causas canonicas, simul concurrant tres conditiones sequentes, videlicet: 1. Ut partes, et praesertim haeretica, veras cautiones praestiterint, quibus se coram Ecclesia obligent ad ea, quae ab iisdem eadem Ecclesia exigit; inter quae praecipuum locum tenet catholica educatio universae omnino prolis, absque ulla exceptione sive restrictione. 2. Ut superior ecclesiasticus morale certitudinem habeat, sive de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earumdem adimplentione pro futuro. 3. Ut cautionis exhibitio notoria sit, vel saltem talis esse possit, ad omne scandalum removendum. (S. O. 1880.)

CXIII. *Instructio ad Episcopos hujus regionis.*

Instructio Card. Barnabo (1868) ad Episcopos Americae Septentrionalis haec habet: “Enixe peto a charitate tua, ut quantum in Domino poteris, fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima, quae in iis continentur, pericula praecaveantur, ac devitentur.”

CXIV. *Quomodo se gerent pastores, tum in imminentibus casibus, tum gregem instruendo.*

Moneantur tamen animarum pastores, ut in hisce promissionibus exigendis, fortiter quidem in re, in modo tamen suaviter se gerant, ne inde mala oriantur graviora. Quod eo magis praecavendum, cum constet raro in hisce regionibus ab Episcopo vel Sacerdote pro ineundis ejusmodi nuptiis dispensationem peti, donec res jam eo usque processerit, ut Matri-

monium per Ecclesiae monita abrumpi posse vix ne vix quidem sit sperandum. Omnis opera in eo potius ponenda est ut fideles a mixtis istis conjugiiis omnino deterreantur. Hortamur igitur animarum pastores, ut semel saltem in anno, tempore praesertim Adventus vel Quadragesimae, gravissime greges sibi commissos mala, quae ex iis pullulant, edoceant, simulque fidei pericula indicent, quae tum sponso catholico, tum proli suscipiendae imminet. (Conc. Pl. Balt. II. 335. 336.)

TITULUS XV.

DE SACRORUM RITUUM OBSERVANTIA.

CXV. *Quam horum aestimationem habere debeamus.*

Cum mens humana per sensibilia ad spirituales, quibus Deo jungimur, actus elevetur, factum est ut ab Ecclesiae primordiis, ad fideles magis excitandos ad rerum divinarum contemplationem, atque ad fovendum et augendum interiorem Dei cultum, certi instituti sint ritus ac caeremoniae, praesertim in Missae Sacrificio obeundo, et Sacramentis administrandis.

Jam vero de ritibus ac caeremoniis sacrificii Missae fere necesse non est quidquid dicere; quum omnes hujus occidentalis regionis sacerdotes noverint ritum Romanum apud nos vigere.

CXVI. *In Missa nihil addatur nec omittatur.*

Itaque in Missa celebranda, sive sit solemnis, sive privata, caeremoniae omnes in Rituali Romano praescriptae diligenter ac accurate servandae sunt, nihil addendo aut omittendo.

CXVII. *Rituale Romanum observetur, ac diligenter perpendatur.*

In administrando sacramenta leges Ritualis Romani, vel ejus excerpta, quae habentur in Caeremoniali Baltimorensi, servari volumus ac jubemus. Perpendant sacerdotes sapientem Patrum Baltimorensium locutionem: "Quum in Sacramentis conferendis non ea tantum, quae ad materiam, ut ajunt, formamque pertinent, accurate attendenda sint; sed et omnes sacrae disciplinae leges, singulosque ritus, ac caeremonias in unoquoque Sacramento praeceptas fideliter et sancte servare oporteat; idcirco valde optamus, ut ab omnibus animarum curam gerentibus rubricae Ritualis Romani, saltem semel singulis annis, diligenter evolvantur." (Conc. Balt. II 209.etc.)

TITULUS XVI.

DE JURIBUS STOLAE ET MISSARUM STIPENDIIS.

CXVIII. *Quomodo se gerent sacerdotes circa oblationes pro ministerio.*

Quidquid a fidelibus occasione administrationis baptismi, matrimonii vel alicujus functionis sacrae de more sacerdotibus offeratur, accipere possunt. Prohibemus autem, quominus ullum pactum vel stipulatio de pecunia solvenda sive ante sive post functionem intercedat, vel sacramenta, intuitu pecuniae non solvendae, denegentur. A pauperibus, qui non habent quid dent, nihil omnino petatur.

CXIX. *De Missarum stipendiis.*

Stipendium pro Missa privata erit unum dollarium; pro Missa cantata cum Exequiis decem dollaria; pro Missa solemni viginti dollaria; pro Missa lecta cum Exequiis quinque dollaria.

CXX. *De salariis, atque Nativitatis et Paschatis collectis.*

Tamquam salarium Pastores \$600,00 accipient, Assistentes \$400,00. Collectae quae fiunt tempore Nativitatis et Paschatis in thesauro Ecclesiae deponendae sunt. Si quis autem pastor \$600,00 acquirere nequit, quin partem abstrahat a collectis Nativitatis et Paschatis, tantum illi abstrahere licet, quantum requiritur ad summan \$600,00 complendam.

TITULUS XVII.

DE PATRONO ET TITULARI ECCLESIAE PROPRIAE.

CXXI. *Quo ritu celebrandum Titularis Festum.*

Festum Titularis Ecclesiae cujuscumque saltem benedictae, quamvis non consecratae, a clero ipsi adscripto peragi debet sub ritu duplici primae classis cum octava, tam in officio quam in missa. (S. R. C. 1872.) In urbibus die festo celebretur; rure quoad externam solemnitatem in Dominicam sequentem transferri potest. In suffragiis divini officii fit Titularis Commemoratio in Vesp. et Laudibus, etiamsi Titularis sit mysterium, e. g. SS. Trinitatis.

CXXII. *De Festis infra hebdomadam.*

Festa, quae his in locis de praecepto sunt, ab omnibus observari debent. Cum autem difficile sit a servilibus operibus abstinere, cum infra hebdomadam cadant, saltem una Missa mane diluculo celebrari debet ad satisfaciendum eorum devotioni, et cetera omnia ut in Dominicis habeantur.

Festum Immaculae Conceptionis B. M. V. in omnibus hujus Dioecescos Ecclesiis debita solemnitate et ritu peculiari celebretur.

CXXIII. *Quaenam sint, praeter Dominicas, Festa de praecepto.*

Festa de praecepto in nostra dioecesi sunt: Immaculata Conceptio B. M. V.; Nativitas D. N. J. C.; Circumcisio D. N. J. C.; Ascensio D. N. J. C.; Assumptio B. M. V.; Festum Omnium Sanctorum.

TITULUS XVIII.

DE SCHOLIS.

CXXIV. *Quanti sit educatio parvulorum.*

Christus Salvator Noster, qui parvulos tenerrimo et ardentissimo dilexit amore, merito nos, nisi disciplinae illorum christianae totis viribus incumbamus uti servos indignos et ignavos habebit. Quoniam autem parvuli per suavem et sacrosanctam christianam disciplinam ad Christi imaginem efformantur, quantum ejusmodi disciplina importet nemini patescere non potest. Neque fieri potest quin gravi moerore afficiamur, quum per universam hanc mundi regionem, publicis nostris in scholis, Christum ejusque Ecclesiam ignorari cernimus, falsam mancamque scientiam praevalere.

CXXV. *Quae de parvulorum educatione statuta ac servanda sunt.*

Ut ergo parvulos Sanctae Matris Nostrae Ecclesiae, cives coelo dignos et patria efficiamus, animo forti ardentique enitatur, et ea teneamus alta mente infixae quae in Conc. Balt. III decreta sunt:

1. Prope unamquamque Ecclesiam, ubi nondum existat, scholam parochialem intra duos annos a promulgatione hujus Concilii erigendam et in perpetuum sustentandam esse; nisi Episcopus, ob graviore difficultates dilationem concedendam esse judicabit.

2. Sacerdotem, qui intra hoc tempus erectionem vel sustentationem scholae gravi sua negligentia impediat, vel post repetitas Episcopi admonitiones non curet, mereri remotionem ab illa Ecclesia.

3. Missionem vel paroeciam, quae sacerdotem in erigenda vel sustentanda schola adjuvare ita negligat, ut ob hanc supinam negligentiam schola existere non possit, ab Episcopo esse reprehendendam, ac, quibus efficacioribus ac prudentioribus modis potest, inducendam ad necessaria subsidia conferenda.

4. Omnes parentes catholicos prolem suam ad scholas parochiales mittere teneri, nisi vel domi, vel in aliis scholis catholicis, christianae filiorum suorum educationi sufficienter et evidenter consulant; aut ob causam sufficientem ab Episcopo approbatam, et cum opportunis cautionibus remediisque, eos ad alias scholas mittere ipsis liceat. Quaenam autem sit schola catholica Ordinarii iudicio deferendum relinquitur. (Conc. Balt. III. 199.)

CXXVI. *Uniformitas sit in electione librorum.*

Nostris in scholis uniformitas quoad libros, quibus discipuli utantur, existere debet et de hoc pastores rogantur ut inter se statuunt, quibus libris uti discipuli debeant.

TITULUS XIX.

DE VERBI DIVINI PRAEDICATIONE.

CXXVII. *De ejus necessitate.*

Praeceptum divinum est, pastores oves suas verbo divino pascere debere. Praecipimus ideo ut animarum curam gerentes, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti ipsi fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et eorum capacitate, pascant salutaribus verbis docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad

salutem, annuntiandoque eis, brevitate et facilitate sermonis, vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant. (Conc. Trid. de Ref.)

CXXVIII. *Quae vitanda sint.*

Serio monemus praedicatores, ut profanas vocum novitates devitent; in iis enim dolus et periculum saepe numero latent. Ineptae autem et aniles fabulae ne e suggestu enarrentur ipsa ratio suadet.

CXXIX. *Diebus festis, in omnibus missis, verba ad populum habeantur.*

Quum plures sint fideles qui necessitate coacti, aut voluntate, missis privatis assistunt dominicis diebus, inter quarum celebrationem, ne una quidem vice toto anno, pascuntur salutaribus verbis, praecipimus, ut diebus Dominicis et festis solemnibus, etiam aestivo tempore, omnes, qui curam habent animarum, inter celebrationem omnium omnino missarum quibus adstant fideles, sive illae missae sint cantatae, sive privatae, vel etiam valde mane celebrentur, evangelium diei occurrentis lingua vernacula distincte legant, atque, si tempus patiatur, per duodecimam horae partem, populum in lege Domini erudiant, omni consuetudine aut praetextu in contrariam non obstante.

TITULUS XX.

DE CATHEDRATICO.

CXXX. *De sustentatione Episcopi.*

Quum in hac regione vix ulla sit mensa episcopalis, unde possit Episcopus vitam honeste sustentare, dioecesis, cui invi-

gilat, temporalia ad hoc necessaria subministrare debet. Nolumus de praesenti aliquid definite de hac re statuere sed sacerdotes aliquos designabimus, quorum erit cum aliis consilia conferre, et quid ab unaquaque Ecclesia certo dari possit inquirere; et quod promissum est, debito tempore obtinere, ut sic facilius et efficacius munus nostrum exercere possimus et onus Nobis impositum portare.

CXXXI. *Ex quibus fundis subducenda.*

Quum et iustitia suadeat, et S. Congregatio declaraverit Episcopo jus esse media sustentationis ex omnibus dioecesis Ecclesiis recipiendi, decere credimus et ab omnibus desiderari haud dubitamus, ut haec obtineantur, quin laedatur ullo modo dignitas Episcopalis. Quare praecipimus ut ex ordinariis ecclesiarum proventibus summa statuta subtrahatur, et nolumus ut collectiones publicae ad hunc finem instituantur.

TITULUS XXI.

DE PAUPERIBUS ET MODO EOS SUBLEVANDI.

CXXXII. *Societates S. Vicentii de Paulo instituantur.*

Sacerdotes enixe in Domino hortamur et obsecramus, ut indefesso zelo et charitatis pleno pauperes disquirant parociae suae, eosque in ipsorum necessitatibus sublevent, non solum quia egentes sunt, sed quia perversionis periculo maxime exponuntur. Quod ut melius perficiatur, praecipimus et mandamus, ut in unaquaque paroccia, praesertim hujus urbis, Denver, instituat pastor societatem S. Vicentii de Paulo, cui incumbet pecunias colligere, pauperes honestos disquirere atque sublevare. Societas ita constituta semel saltem in mense conveniat praesente pastore. Qui his societatibus praesunt semel in mense, sub uno quem sibi elegerint praeside, in unum locum conveniant, ut omnia bene faciliterque peragantur. Invigilent pastores cura maxima in adolescentes utriusque sexus, praesertim in puellas, qui ephemerides in viis publicis venditant, et in alios periclitantes.

TITULUS XXII.

DE ORPHANIS.

CXXXIII. *Quid pro eis factum sit, quidque faciendum.*

Quo melius ali et educari possint parvuli egentes hujus Denveriensis dioecesis, Decessor Noster, magna erga illos charitate impulsus, S. Vincentii orphanotrophium e solo excitavit. Auxilia dicto asylo afferre magni Nobis negotii est, nec vobis minoris esse debet, Fratres charissimi. Quomodo enim Ejus, qui Bonus Pastor vocatur, discipuli reputari possemus, si orphanorum lacrymas et ploratus audire nollemus? Nec ideo tantum curam de illis habere deberemus, quod famis doloribus, sed ideo praesertim quod maximis fidei periculis exponantur.

CXXXIV. *De collectis ad eos juvandos.*

Quamobrem vos, Reverendi Patres, vehementer hortamur in quantum poteritis Orphanis et S. Vincentii Asylo providere; et quo melius provideatur, hoc Nobis visum est statuere: Fiat singulis annis, in unaquaque hujus dioecesis paroecia nec non et missione, prima Dominica Octobris, Collecta pro Asylo S. Vincentii.

TITULUS XXIII.

DE PROHIBITIS ET APPROBATIS SOCIETATIBUS.

CXXXV. *Quae sint damnatae.*

Societates secretas hostem infensissimum Ecclesiae Dei et fuisse et esse declarant, non modo monita eorum, qui a Christo positi fuerunt ad custodiendam civitatem Dei, verum etiam confirmant eventus tristissimi duorum superiorum saeculorum,

multoque magis miserrimus status, ad quem pluribus in locis Ecclesia est redacta. Magni igitur momenti est, ut clare cognoscant sacerdotes, quaenam societates inter damnatas referendae sint.

www.libtool.com.cn
 Condemnati sunt et absolvi non possunt:

1. A fide christiana apostatae et omnes ac singuli haeretici, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant.

2. Nomen dantes sectae Massonicae vel Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimam potestatem civilem, seu palam seu clandestine, machinantur.

3. Qui nomen dederunt Fenianis (Decr. S. Off. 1870.)

4. Socii Singulares (vulgo Odd Fellows,) nec non Filii Temperantiae comprehenduntur in Bullis Pontificiis. (Conc. Plen. Balt. II. 518.—App. p. 301.)

5. Qui nomen societati dedit, quae ita secretum servandum injungit, ut neque auctoritate Ecclesiae illud manifestari sinat, aut jusjurandum vel promissionem caecae absolutaeque obedientiae exigat, donec effectu ipso ab ea penitus recedat, vel saltem se continuo recessurum serio promittat.

6. Qui societati nomen dedit, quae presbyterum aliumve ministrum cultus sibi vindicat cum proprio Rituali et Caeremoniis.

CXXXVI. *Quomodo se geret Sacerdos.*

Prohibemus et vetamus ne quis sacerdos nominatim societatem publice denunciaret; sed in omni casu res ad Ordinarium referenda est, qui et ipse rem referet ad commissionem quae pro hujusmodi causis judicandis constituitur, et quae constabit ex omnibus Archiepiscopis harum provinciarum.

CXXXVII. *De Societatibus honestis.*

Quum ex societatibus religiosis bona multa oriantur, modo bene sint institutae, et e contra mala haud levia timenda sint, si male constituentur vel dirigantur, Nostrum esse duximus haec de illis decernere:

Nulla societas tamquam societas religiosa in hac dioecesi agnoscetur, nisi societas ipsa et scopus quem sibi proponit, sicut et statuta quibus regitur, post institutum debitum examen, approbatione digna judicaverimus, quam approbationem in scriptis obtinere debet.

Statuta, sic a Nobis approbata, Nobis inconsultis, mutari non debent.

www.libtool.com.cn

ERRATA.

<i>Pagina.</i>	<i>Linea.</i>	<i>Dicit.</i>	<i>Lege.</i>
3	3	Norman	Normam
16	16	edificationem	aedificationem
20	7	Oconoman	Oeconomam
22	25	proemio	prooemio
29	17	aprobanda	approbanda
32	ult.	reciperint	receperint
33	19	Caeremoniali	Caeremoniale
39	15	possiderint	possederint
